

Cum
VIR ORNATISSIMUS
DOMINUS
CHRISTOPHORUS
SCHLODIGERVS,

Mercator Thorunensis,
Nobilem atqve Lectissimam Virginem

ROSINAM ELISA-
BETHAM,

P. T.

DN. MATTHIÆ
BERGEMANNI,

Consulis Senioris in Civitate Regia Fraustadiensi
bene merentis Filiam,

felici foedere sibi,
d. XXIV. Aprilis, A. MDCCCVIII.

jungeret,
fausta omnia apprecabantur,

Rector & Professores Gymn. Thor.

THORUNII,
Impress. Johannes Conradus Rügerus. 1708.

M. P. IANICHIVS R.

Dehi. do k. 195



Rimen erat Spartae peregrinas quae-
rere taedas:

Omnis ab externis invidiosus amor.
Sive, quod audaci vires contemnere
fastu

Maluit externas, freta suis opibus.

Sive, quod antiquis factis & moribus ausa,
Ceu firmo posito robore, stare satis.

Sic quoque Teutonibus priscis placuere puellae,
Nutrierat patrius quas focus atque solum.

Rectius an faciant illi, vix farier ausim,

Qui, quodcunque placet, sorte ubicunque legunt?

Si tamen id, quod mente latet, iam prodere vultu

Urgebis: Sponsae comprobo consilium.

Ipsa lubens Sponsi molles dum transit in ulnas

Non patrii, tantum quod bonus ille placet,

Dulcia quae spondet vitae, nunc patria tellus,

Haec, ait, haec sedes, & mea grata quies,

Scilicet exemplum, virtutis imagine, Neptis

Cognati laetis auspiciis sequitur.

Cuius se patriis includi nescia muris

Virtus, diffudit longius omne decus,

Hic auxit famam, generisque attollere nomen

Complacuit, meritis hicque nitere suis.

Moribus ut monstras perpulchris, Optima Sponsa,

Te Rösneriadum sanguinis esse decus,

Sic pariter surgas felicibus auctibus usque!

Eveniant votis omnia laeta Tuis!

Ducat ab annorum cursu nova robora nexus,

Quo sponsi certum pignus amoris eris.

Vt tellure nova solet esse feracior arbor:

Climate sic alio sis peregrina ferax.

*Ita gratulandi officio defungi
volebat,*

M. P. IAENICHIUS, R.

F

Gaudet

In

Wschov

Ser

Attamen

Ph

Est cele

Qu

Ut filear

At

Inde Tib

Sp

Si forma

Si p

Ille educ

Th

Sic Tibi

Qu

Vivite F

Nef

(1.)

1343. bell

ret. Ca

thones Fr

intercept

Episcopi

(2.)

(3.)

Polonis. v

(4.)

captum ej

eorum mi

vini Hun

entes hun

templo E

Cellar. D

depositis

Pentecost

in Comiti

tivis mili

elegantiss

ibidem.

mühlen h

F Raustadium locus est Germana sede decorus,
 Olim Glogoviæ quem tenuere Duces.
 Sed Casimirus Rex Lechiæ cognomine Magnus
 Avulsam Regno reddidit ipse suo.
 Gaudebat quondam cudendæ (2.) jure monetæ.
 Inque fide Regum permanet atque viget.
 Wschowa (3) tamen varios perpessa est incluta casus (4.)
 Senferat atque tuas, Mars truculente, vices.
 Attamen hoc ipso caput effert atque resurgit (5.)
 Phœnicem sicut russa favilla creat.
 Est celebris clarisque viris decorata perennat,
 Quos *Herbergerus* (6.) mente styloque præit.
 Ut fileam nostri prægnantia facta Scholarchæ,
 Atque molas (7.) structas multiplicesque solo.
 Inde Tibi decorata venit virtutibus amplis
 Sponsa, cui virtus ubera lacta dedit:
 Si formam quæris? non est formosior ipsa.
 Si pietatem? quis dicere cuncta valet?
 Illa educta domi charisque parentibus orta
 Thorunii plures imbibit artis opes.
 Sic Tibi gratari poteris, *dexterrime Sponse*,
 Quod Tibi Virgo venit casta, pudica, pia.
 Vivite Florentes, Vos gratia dia gubernet
 Nestoreosque diu multiplicare dies.

*Inter concatenatos fere labores amicissimus
 Sponsi et Sponsæ deprop.*

M. MARTINVS Böhmi.

(1.) Casimirus II. Henrico Zaganensium Duci, magnis viribus An.
 1343. bellum intulit, veritus ne Joannes Rex Boemorum suppetias ei veni-
 ret. Causa belli fuit, ut recuperaret Vuschovense territorium quod Teu-
 thones Freistatense vocant, ab Henrico duce Glogoviensi hujus Henrici avo
 interceptum & à majore Polonia avulsam. Verba sunt Martini Cromeri
 Episcopi quondam Warmiensis de Orig. & R. G. Polon. f. 303. Fdit. Basil.

(2.) Id testatur Crom. l. c. & Martinus Bielski Chron. Polon. lib. 2. f. 229.

(3.) Hoc nomine Fraustadium s. Freystadt potius vulgo insignitur à
 Polonis. vid. S. Starowol. in Descript. Pol. p. 22.

(4.) Oppidum An. 1343. quassatis aliquot diebus dejectisque muris
 captum est, ne quicquam defendentibus Silesiis, quos capi Rex jussit, & bona
 eorum militibus diripienda concessit. Crom. l. c. Anno 1474. Matthias Cor-
 vini Hungaria Regis Copia per Silesiam & Guraviense territorium ingru-
 entes hunc locum frustra occupare tentarunt. An. 1644. d. 19. Julii exceptis
 templo Evangel. & decem circiter aedificiis, tota incendio conflagravit. Andr.
 Cellar. Descript. Regni Pol. & c. p. 220. Wschovensibus Civibus Polonis An. 1656.
 depositis armis se submiserunt. An. 1685. fortuito incendio exusta est ante
 Pentecosten, sed melius jam e cineribus resurgit. (5.) Ut muniatur, præcipitur
 in Comitibus Regni. vid. Const. An. 1673. p. 28. seq. Libera pronuntiatur a sta-
 tivis militum. vid. Const. Regni An. 1676. f. 34. (6.) Vitam tanti Viri
 elegantissime nuper descripsit Pl. Reverend. Dominus Lauterbach. Ecclesiastes
 ibidem. (7.) Niederprißen eine Vorstadt in Fraustadt hat 300. Winde-
 mühlen herumb. MS.

*Dixerat autem Jehova Deus, non est bonum
esse hominem solum.*

SANÈ creationis ultima die
FUÈRE cuncta, quæ Creator omnium
Rerum potens suâ creaverat manu,
Valdè bona: ast hoc unicum minùs Deo
Bonum videbatur, quòd in viventibus
Princeps acerba in solitudine viveret
Charâ tenus Socia, propaginisq; spe.
Ideoq; ne boni deesset quidpiam,
Propter Virum fuit creata Fœmina;
Ut esset adjutorium promptum Viro,
Ritusque nubendi facer mortalibus.
Nil veriùs dicto, nihilque rectiùs
Hoc esse Numinis statuto *Schlodiger*
Edoctus est. Qui Gente solus de sua
Superstes advertit malorum maximum
Sibi esse solitudinem, tot casibus
Damnisque septam, quot dies soli fluunt.
Hæc porrò culpâ ne suamet sentiat,
Ecce, sociale deperit vitæ genus,
Et ordinem secutus optimum, Deo
Auctore, matrimonio sibi Virginem
Virtutibus, formæque pulchritudine
Cultissimam jungi cupiteo tempore,
Quo cuncta florent, floret & Nubentium
Par nobile. Hoc in omen accipio bonum,
Matura quòd fatio putatur optima:
Precorque Sponsis, ut velut ver florent,
Torique fructibus beentur optimis,

*Hac tantum properante calamo scribebat,
sed omnigenam insuper prosperita-
tem prolixiori affectu apprecabatur,*

SPONSIS LECTISSIMIS

M. MARTINUS BERTLEFFIUS P.P.

11 3546